



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

3. Humilitas Animæ solum, velut paludosam rellurem, siccat haud secus,  
ac Puluis & Cinis terram aquosam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

domadis, seu xxvii. Septembris. Nam prima Institutio SOCIETATIS JESU approbatio facta est à Paulo III. Pont. Max. Anno M. D. XL. V. Kalen. Octob. Ad quam diem celebriorem faciendam, transigendamque cum fructu spiritali, Eminentissimus Cardinalis MARTIUS GINETTUS, Legatus de latere, facta sibi potestate à Supremo Sacrorum antistite VRBANO VIII. concessit Indulgentiam Plenariam. Ad quam obtinendam, DEO que nobiscum gratias agendas invito meos Auditores, quos ut maximè benevolos Societati, adfocere frequentes confido.

## ARTICULUS III.

## HVMILITAS

*Anima solum, velut paludosam tellurem, siccat haud secus ac Pulvis & Cinis terram aquosam.*

**H**AUD malè dixero, vel incongruè, ut opinor, Animam, cui virtutis imponenda est fabrica, esse veluti terram aquis immersam, vel palustrem, quæ undique aquis scateat: nimirum, perturbationibus immodicis, imperfectionibus, defectibus, peccatis, & nonnunquam criminibus, ac sceleribus. Ita profectò se rem habere nō pauca in Divinis Oraculis satis clarè indicant. Quàm illustre est illud psalmi LXXVIII. *Salvum me fac DEUS, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam meam,* Quo loco D. Chrysostronus, per aquas intelligit secularia negotia, fluxa, & mortalia: Origenes verò, tentationes, quæ recens natis, aut ad Deum conversis imminet à Diabolo, tanquam à Pharaone: nonnulli, peccata: ut intrare aquas usque ad animam, significet, periclitari tentationibus,

tationibus, cogitationibus pravis, desideriis perversis, mundanarum rerum affectibus, aut etiam peccatis anime salutem. *Bibit, quasi aquam, iniquitatem.* dicitur Job. xv. Ubi haud dubie symbolum iniquitatis est aqua. Sicut in psalmo cviii. *Intravit sicut aqua interiora ejus.* quidam? dolus, malignitas, fraudulentia.

Ut ponatur itaque Virtutum fundamentum in anima, ejici primum haustoriis instrumentis, qualia sunt dolor, poenitudo, contritio, confessio, satisfactio debet haec aqua. Tum pulvere insperso exficari, quod remansit madidum solum. Nullus autem magis idoneus ad exsiccandum, est pulvis, quam Humilitas, cujus vis, tum solidandi, tum exsiccandi longè est efficacior, quam pulveris Puteolani. Cum igitur Humilitas, inum in virtutum aedificio locum occupet, & Fidei substernatur, rectissime Fundamentum fabricæ spiritualis dicitur; indirectè tamen ac dispositivè, quia obstacula removet.



S E R M O IX.

HUMILITAS

*Complanat Animæ fundum, ut in eo aedificari possit.*

*Omnis Vallis implebitur; & omnis mons & collis humiliabitur.*

*Et erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Lucæ iii.*

4. 5.

ARTI-